

Dissertatio medica inauguralis de malo hysterico ... / [Franz Ignaz Fleig].

Contributors

Fleig, Franz Ignaz.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

[Argentorati] : Typis Melchioris Pauschingeri, [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ta8yc45j>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

MALO HYSTERICICO

QUAM

EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ
SUBJICIET

FRANCISCUS IGNATIUS FLEIG

ROTTWILANUS SUEVUS

AD DIEM XVI. JUNII A. O. R. MDCCL.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

INCLYTO
LIBERÆ SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICÆ ROTTWILANÆ
MAGISTRATUI

VIRIS
GENEROSIS MAGNIFICIS MAXIME STRENUIS
CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS
NOBILISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS
DOMINIS

CONSULI
PRÆTORI
SUMMO ÆRARIII PRÆFECTO
SUMMIS VICORUM SATRAPIS
CONSILII IMPERIALIS AULICI
ASSESSORIBUS
AC TRIBUNIS PLEBIS
PATRIÆ PATRIBUS
MÆCENATIBUS^{ATQUE} PATRONIS
OPTIMIS MAXIMIS

OMNI PIETATIS AC REVERENTIÆ CULTU PROSEQUENDIS
SPECIMEN HOC STUDIORUM SUORUM INAUGURALE
OB IMMENSA ET INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA
IN PERENNE GRATISSIMI ET DEVINCTISSIMI ANIMI
MONUMENTUM AC TESSERAM
CUM VOTO REGIMINIS SERI ET OMNIGENÆ SALUTIS
SACRUM ESSE JUBET

TANTORUM NOMINUM
CLIENS HUMILLIMUS
AUTOR.





PRÆFATIO.



*V*eri omnium morborum causæ sunt dixit haud immerito Artis Medicæ Parens HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum Lib. II. n. 1.* Imo, eodem etiam jure, antiqui Medici, *fœminam morbum omnem bis pati*, asseveraverunt. Non enim solum omnibus fere morbis, quibus viri obnoxii sunt, expositum pariter est muliebres corpus, quippe eadem solidorum structura ac fluidorum mixtura gaudens; verum propter uterum insuper, ipsiusque cum nobilibus aliis corporis partibus arcto consensu, ad eadem incommoda denuo disponitur, quin novos plane morbos, à quibus viri immunes vivunt, incurrit, sic ut, ærumnarum atque passionum, quibuscum continuo conflictari coguntur fœminæ, primariam fere causam matricem esse, non temere affirmare liceat. Ergo secundum HELMONTIUM *Tract. de Asthmate & Tussi n. 17. Opp. p. 345. multa profecto commiseratione dignus sexus, in adiutorium magnarum necessitatum nobis datus: ac quasi proinde multiplici ærumna dignus. Siquidem semel omnes propemodum morbos patitur ex utero, iterumque eosdem quatenus homo, duplices corruptæ naturæ pœnas, insons atque devotus sexus, per misera individua muliebra tolerat.* Quemadmodum vero memora-

tum illud tritum , mulierem morbum omnem bis pati ,
 fatis superque nunc evictum est ; ita non minus verum ,
 imo æque indubium hoc assertum , *fœminam morbum
 omnem simul pati* , existit. Ob modo nominatum enim
 uteri viscus , ex quo tanquam ex fonte omnia fere mu-
 liebria mala emanant , imo , ob intimum ejusdem cum
 multis corporis partibus vi nervorum commercium , non
 potest non aliter fieri , quam ut , utero graviter affecto ,
 reliquæ nervosæ partes simul etiam patiantur , & ita ple-
 ctantur , ut multis in locis , & in diffitis etiam regionibus
 molestias persentiscant mulierculæ , sicque non uno solum
 morbo , aut uno in loco , sed pluribus , imo pene omni-
 bus excrucientur , & per totum corpus eodem tempore
 ægrotent. Non melius dicti hujus veritatem probabimus ,
 quam *Malum Hystericum* exempli loco inducendo , quippe
 quod non morbum , sed morborum catervam & sege-
 tem uno eodemque tempore apud illas fœminas , quas for-
 titer corripit , exhibet. Operæ igitur pretium duximus ,
 exantlatis rite tentaminibus & examinibus doctoralibus ,
 de gravi hoc & sexui sequiori ita molesto complicato af-
 fectu , consentiente **GRATIOSA FACULTATE MEDICA** ,
 inauguraliter differere. Ante omnia vero **SUMMUM AR-
 CHIATRUM** supplicibus invocamus precibus , velit & hos
 & omnes nostros conatus Divina sua gratia & nunc & in
 posterum adjuvare , quo cuncta cedant in ter sancti sui
 nominis gloriam , proximi salutem nostrumque commo-
 dum. Te **BENEVOLE LECTOR** decentibus formulis ro-
 gamus , ut , si fœminarum causa aliquid humani passi fue-
 rimus , errorum veniam benigne largiaris , difficile enim
 & summæ prudentiæ opus esse , in tali materia syrtes
 & scopulos effugere , ipse nobis
 concedes.





§. I.

IN pelvi ossea inter vesicam urinariam & intestinum re-
ctum tuto reconditus locatur *Uterus*, qui est viscus ca-
vum, vasculoso nervosum, albicans, elasticum, figuram
triangularem, sed inversam, aut lagenæ inversæ compla-
natæ formam referens.

§. II.

Triangularem inversam figuram quum repræsentet
uterus, basis ejusdem sive pars lata superiora respicit &
Fundus vocatur, qui fornicatus existit, duobus quippe la-
teribus oppositis angulis obtusis cum basi coëuntibus. Ea-
dem vero hæc latera à basi recedendo, descendendo, &
propius ad se mutuo accedendo *Corpus* uteri sic consti-
tuunt. Ubi vero ita convergunt, ut in apicem tandem
truncatum terminentur, *Collum* uteri salutantur. Eo autem
exacte in loco, ubi uterque angulus cum basi concurrat &
fornicem effingit, perforatus uterus duobus foraminibus,
stylum tenuiorem vix admittentibus, est, sunt hæc *Tuba-
rum Fallopiantarum* extremitates angustæ, quæ in hemicy-
clos tortuosos flexæ, & semper ampliores factæ, altera
demum sua extremitate in fimbrias, in abdominis cavitate
fluctuantes, late expanduntur, corporibus albicantibus, fir-
mis, sphaericis, *Ovariis* dictis, ovulisque iis inclusis, am-
plectendis, destinatas. Inferior vero angulus, ob unio-
nem duorum laterum non absolutam, itidem foramen &
quidem transversum efformat, quod *Orificium uteri in-
ternum* appellatur, & in tubum longum, rugosum, *Vagi-
nam* dictum, sese inserit. Hæc vagina uteri, inter collum
vesicæ urinariæ & intestinum rectum ad inferiora & exte-
riora usque protensa, orificio oblongo, *sinu pudoris* vocato,
& in virginibus *hymene* terminatur, ac *pube, labiis, clitori-
de, nymphis* circumvallatur.

§. III.

Ut situm immotum in pelvis cavitate fervet uterus, peritonæi membrana non solum ejusdem fundum & corpus arcte investit, verum etiam uteri cervicem cum vesicæ urinariæ collo antè & postè cum intestino recto connectit & firmat, imo, postquam super memoratas partes sese reflexit, in velum latum duplicatum explicatur, & ovaria cum tubis uterinis ubique involvit, lata vero hæc peritonæi expansio *Ligamentorum uteri laterum* nomine venit. A duobus vero aliis *Ligamentis, rotundis* a contortione vocatis, suspenditur præterea matrix, quæ ab uteri lateribus orta, per anulum muscoli obliqui externi abdominalis transeunt, & in pinguedine ad pubem evanescent.

§. IV.

Quamvis itaque e sede sua dimovere sese non patiatur uterus, ligamentorum quippe ope firmiter adnexus, ejus tamen corpus & fundus a cohæsione cum vicinis partibus liber, & multis motibus exequendis mechanica sua structura aptus redditus est, cavitasque ipsius mirum in modum extensibilis iterumque contractibilis existit. Componitur enim uteri substantia ex fibris musculosis, cavis, sive nervis, liquido subtilissimo repletis, expansionis summe capacibus, rursusque elasticitate sua resilientibus. *Nervi*, qui ad uterum ablegantur, ortum suum trahunt partim a primo & secundo pari nervorum lumbarium, partim a secundo, tertio & quarto pari nervorum sacrorum, partim vero etiam a nervi intercostalis sive sympathetici magni fasciis mesentericis posterioribus a), & potissimum ab ejusdem nervi plexu hypogastrico ipsiusque gangliis b). Nervi hi surculi in omnibus ad generationem in sexu sequiori inservientibus partibus copiosissime sese distribuunt, præcipue vero in tubis uterinis & utero ipso tam innumeris mirisque modis sese intexunt, inque lacertos & fibras musculares, varias directiones sequentes, ultimo abeunt, quæ

in

in faciebus uteri rectæ existunt, in lateribus curvas describunt, in fundo vero in turbinem aguntur, & peculiaris musculi nomen a quibusdam meruerunt c). Ut ita uterum totum quantum musculosum, fibrosum, seu nervosum esse, haud immerito quis concluderet, summe vero sensibile, & ad irritationem adque contractionem admodum dispositum viscus esse, nemo negaverit. Imo, quum quamplurimi illorum nervorum, qui in utero distribuuntur, a pari sympathetico magno pullulent, hoc vero, uti nomen etiam illud innuit, cum omnibus fere corporis humani nervis communionem alat, ideo etiam sensu exquisitissimo præditum esse debere hoc viscus, quoniam motibus ab universo corpore recipiendis expositum est, patet.

a) Vid. Acutissimi WINSLOW *Expos. Anat. de la Struct. du Corps Hum. Traité des Nerfs.* n. 417.

b) WINSLOW. l. c. n. 420. Illustris HALLER *Prim. Lin. Physiolog.* §. 809. plexum mesocolicum infimum vocat illum plexum, unde nervi uterini proveniunt. Accuratissimus VIEUSSENS *Neurograph. Univ.* hos nervos plexus mesenterici infimi propagines inferiores vocat Tab. XXIII. n. 81. vid. & n. 84. 85 & 87.

c) RUYSCHIUM pro inventore agnoscit hic musculus, qui peculiari *Traçtatione de Musculo in Fundo Uteri observato antebac à nemine detecto* p. 9. ab eo descriptus fuit. SIMSON in *Ess. & Observ. de Medec. de la Societé d'Edinbourg* Tom. IV. p. 143. eundem pariter statuit. Solertissimus etiam hic loci olim Professor HOMMELIUS illius descriptionem & delineationem exactam inseruit *Commerc. Litterar. Norimb. A.* 1739. p. 125. Tab. IV. Fig. I.

§. V.

Interluitur præterea copioso etiam sanguine totum uteri viscus & ad ipsum attinentes partes, & ex universo corpore cruori ad uterum itus reditusque patet. *Vasa*, quæ eundem advehunt, arteriosa, sunt duæ arteriæ spermaticæ, antè ex aorta descendente inferiore infra renales erumpentes, hæ in utero atque ovariis potissimum sese distribuunt, ad tubas Fallopianas etiam ramulos ablegant. Afferunt etiam haud paucam liquidi rubri quantita-

tatem ex arteria iliaca interna five hypogastrica prognati rami, nomine arteriæ pudendæ hypogastricæ, pudendæ communis, five pudendæ internæ, & alii arteriæ pudendæ externæ nomine venientes d), qui utrinque, in vagina primum, dein in utero flexuoso admodum itinere decurrunt e), & infinitis in locis non solum inter se invicem communicant f), verum etiam cum arteriis spermaticis versus Fallopii tubas anastomoses patiuntur, imo in hæmorrhoidales etiam arterias frequenter hiant. Præcipue vero intricata arteriæ hypogastricæ & spermaticæ implicatione funiculi vasculosi, ligamenta uteri rotunda alias vocata, constituuntur. Arteriæ iliacæ externæ soboles, epigastrica arteria, quosdam etiam furculos genitalibus muliebribus & ipsi utero impertitur. g) Omnes hæ arteriæ in minores lateralesque arteriolas serosas, lymphaticas, lacteas aliasque angustioris semper diametri extenuantur, parique reptatu & anastomosi in toto utero tamdiu feruntur, donec in exhalantia vascula, villos, lacunas & oscula, in uteri cavitatem patentia, tandem terminentur. Reducendo ab utero sanguini & lymphæ famulantur primo venæ spermaticæ, quæ, osculis bibulis ab uteri cavo, vel etiam tenui initio ab arteriis lateralibus ortæ, in majores semper & patentiores ramos exurgunt, multos etiam gyros & anfractus tam in matrice, quam in ovariis & tubis faciunt, & adunatione ac communione cum aliis uteri venis, continuo præterea arteriarum comitatu stipatæ, pampiniforme corpus constituunt h), tandemque in unicum truncum venosum in quovis latere propagantur, ubi, quando ex utero emerit uterque, dexter in ipsam venam cavam, sinister vero in venam renalem sinistram inseritur. Pari origine ex ipso matricis & vicinarum partium specu numerosæ aliæ venæ progerminant, quæ cum prioribus multis in locis coeuntes in pudendam internam, obturatricem, tandemque in hypogastricam venam laticem suum purpureum evomunt, hæ funiculum vasculosum etiam com-

componere juvant, insuper vero adhuc cum hæmorrhoidali interna, venæ portæ ramo, commercium celebrant Imo, reliquiæ quædam sanguinis venæ etiam hæmorrhoidali externæ & epigastricæ traduntur, quarum sanguis genitalia muliebria etiam alluit. Duplex vasorum horum, arteriosorum nempe & venosorum, series ob miros & innumeros flexus, atque exosculationes uteri substantiam fere totam quantam constituere sic videtur, præcipue, quia ob texturam laxiorem vasorumque horum tonum infirmum, & valvularum in venis uterinis absentiam, circuitus sanguinis per uterum admodum lentus, distentio vasorum facilis, actio vero uteri in humores debilis i) existit, ita ut quolibet data occasione sanguis ad uterum premi, in illo accumulari, & immensa copia spongiæ instar idem imbibi possit. Plethorico præcipue existente corpore muliebri omnis sanguinis impetus ad uterum vergit, ejusque vasa sanguine turgidissima fiunt, nec prius hic nifus cessat, quam, dilatatis lateralibus vasculis & extremis eorundem oris, sanguis ex uteri aut vaginæ cavo erumpat, id quod in statu naturali menstruo tempore, aut absoluto etiam graviditatis termino post partum contingere solet.

d) Conf. WINSLOW *Traité des Arteres* n. 246. 247. & 249.

e) REGN. DE GRAAF *de Mulier. Organ. generat. inserv. Tab. I. TT.*

f) Celeb. SALTZMANNUS *Diff. de Miraculo Naturæ Utero muliebri* A. 1712. hic habita p. 41.

g) EUSTACHIUS in cedro dignis *Tabulis Anatomicis* Tab. XIII. D, 1, 2, 3, ex explicatione Accuratiss. ALBINI.

h) Acutissimus HALLERUS *Icon. Anat. Part. C. H. Fasc. II. Icone Uteri humani* S.

i) Optime hæc explicant Illustr. VAN SWIETEN *Comm. in Bærb. Aph. de cognosc. & cur. morb.* Tom. I. p. 53. verba, quæ sic sonant. *Tota actio omnium viscerum pendet ab eo, quod liquida, vi cordis pressa, dilatent arterias; hæc, suo robore & elasticitate reagentes promoveant distendentes humores: sed motum semel impressum servant diutius omnia illa, quæ sub eodem volumine plus massæ corporeæ habent, id est, quæ sunt solidiora.*

§. VI.

Ex his igitur vasorum tam sanguiferorum, quam lymphaticorum, arteriosorum æque ac venosorum, ut & nervorum plexibus, amplexibus, gyris & circumflexibus, exterius peritonæo investitis, interius vero in villos, rugas & oscula efformatis, é quibus continuo ros quidam exudat k), conflata est tota uteri substantia, optimo igitur jure eundem corpus vasculoso nervosum elasticum esse asseruimus. Et, quamdiu liquidi nervei influxus in villos & fibras musculares uteri perpetuo & æqualiter contingit, tamdiu hæ contractionem & motum suum muscularem æqualiter exequentur, uterusque placido & naturali modo constringetur, ac elasticam suam vim rite exercebit. Quamdiu etiam sanguinis & reliquorum humorum per vasa uteri, vaginae, ovariorum tubarumque itus reductusque erit moderatus, nec nimis impetuosus, nec tardus nimis, aut plane impeditus, nulla etiam vitiata qualitate affecta sunt hæc liquida, tamdiu non ultra tonum suum distenta vasa in fluidum contentum agere, illud premere, dividere, promovere valebunt, secretiones sic & excretiones omni tempore rite procedent, uterusque ad functiones destinatas rite efficiendas omnimodo aptus existet. Sic vero non solum *uteri sanitas*, verum totius etiam corporis, quatenus ob consensum nervorum, vel communionem vasorum ab utero multum dependet, in salvo manebit.

k) Immortalis BOERHAAVE in aureis *Instit. Medic.* §. 664.

§. VII.

Simulac vero impetuose nimis & majori in copia in fibras motrices & vasa matricis, ovariorum, tubarum aliarumque partium irruiat nervosus aut sanguineus latex, vel etiam, si succi uterum irrigantes lentore, spissitudine & acrimonia infecti sunt, nimis violenter tendentur, ultra diametrum

metrum naturalem distendentur & multum irritabuntur fibræ & vascula uterina, sed ob insitum elaterem vellicatæ hæ fibræ solito fortius sese accurtabunt, iterumque constringent. Ast, à fortiori hac irritatione, justo vehementiorem constrictionem post se ducente, molestam sensationem, sive dolorem, in utero partibusque ad ipsum pertinentibus & *statum morbosum* oriri necessario debere, patet. Imo, ob arctum illius cum aliis visceribus & partibus corporis, ope nervorum, præcipue sympatheticorum magnorum, consensum, & ob circulum sanguinis inordinatum reliquæ omnes corporis partes, quam remotissimæ etiam, à circulo humorum turbato affici, contracturas itidem & spasmos violentos plus una vice experiri, & in functionibus suis multifariam lædi debent. Hunc uteri aliarumque partium corporis muliebris morbosum statum *Malum Hystericum* Medici nominant, & *definitur* quod sit constrictio spasmodica nervorum & vasorum uteri aliarumque partium corporis cum utero communicantium, functionum corporearum plus minusve gravem læsionem inducens, & ab humorum uterinorum quantitate vel qualitate vitiata dependens.

§. VIII.

Variis *cognominibus* hic affectus variis in linguis apud Medicos insignitur. Græcis *πνίξ ὑσερική*, vel *ἄπνοια ὑσερική*, à *πνίξ* suffoco aut *πνέω* spiro & *ὑσέρα* uterus, vocatur, quia inter alias functiones læsas, respiratio apud fœminas in hoc malo admodum laboriosa, imo plane quandoque intercepta existit. Ab hoc symptomate etiam, præcipue, quia in malo graviore suffocationis metum incurrunt, Latinis hic morbus *suffocatio uterina*, *strangulatio uteri*, *præfocatio matris*, *strangulatus uteri*, CELSO *vulvæ morbus*, PLINIO *strangulatio vulvæ*, HELMONTIO *uteri asthma muliebre*, PARACELSO *caducus uteri*, aliis vero *passio uterina*, *affectio hystERICA*, *ascensio uteri*, *suffocatio bypochondriaca*, aut etiam, quoniam, vapores ab utero ad caput ad-

scendere illudque obnubilare, credunt, *Vapores* audit. Gallis hinc etiam usitato nomine *Vapeurs*, *vapeurs hysteriques* aut *affection hysterique* venit. Germanis **das Mutterwehe**, **der Mutterkrampff** appellatur.

§. IX.

Quum non una eademque vehementia mulieribus molesta sit hæc affectio, imò quum modo plures, modo pauciores corporis partes in consensum trahat, modo his, modo aliis symptomatibus stipata incedat, varias ideo subit *divisiones*. Nam distinguitur malum hystericum

- I. ratione *gradus* in mite & forte. Mite consuetis nec gravibus adeo symptomatibus, deglutitione ob fauces quasi strangulatas impedita, & sensu globi in abdomine vagantis potissimum sese manifestat, nec functiones corporis animales & vitales notabiliter lædit, & citius transit. Forte vero vocatur, si gravia accidentia conjuncta sunt, summa videlicet præcordiorum angustia, insignis spirandi difficultas, cum metu suffocationis, corporis frigus, profundus sopor, syncope, deliria, convulsiones interdum, ubi per consequens actiones vitales & animales maxime turbantur, præcipue vero forte nominari meretur, si paroxysmus & unum vel alterutrum dictorum symptomatum diutius durat.
- II. ratione *causæ* in sanguineum & ferosum. Prius a sanguinis ad uterum congesti quantitate aut qualitate vitiata, posterius à lymphæ uterinæ copia vel acrimonia derivari meretur.
- III. ratione *temporis* in periodicum, quod statis intervallis redit, & vagum, quod nullum invadendi ordinem & tempus servat.
- IV. ratione *originis* in idiopathicum & symptomaticum. Si in utero fons & causa spasmodorum detegitur, illeque primum & per se afficitur, idiopathicum tunc vocandum est malum hystericum: si vero uterus culpæ insons est,

est, sed solummodo ab aliis visceribus & partibus propter consensum nervorum agitatur, & secundario patitur, symptomaticum potius erit appellandum.

V. denique ratione *symptomatum*, in simplex & complicatum etiam dividi debet. Si sola matrix vitio peccat, simplex erit, si vero alia infimi ventris viscera, ventriculus præcipue, intestina, hepar, lien & mesenterii glandulæ etiam p. n. sunt affectæ, aut plane obstructionibus laborant, & pathemata hypochondriaca concurrunt, tunc complicatum exurgit malum, quod hypochondriaco - hystericum dicitur.

§. X.

Nequaquam vero ideo affectum nostrum cum hypochondriaca passione confundere, illumque cum hac pro uno eodemque morbo habere decet, ita ut secundum multorum Pathologorum 1) opinionem, nullam inter malum hystericum & hypochondriacum aliam, quam sexus differentiam, intercedere, credamus. Quamvis enim interdum invicem complicentur hi duo morbi, aut etiam quædam symptomata communia habeant, frequentius tamen *malum hystericum* solum absque hypochondriaco fœminas affligit, imo ratione loci ac causæ morbificæ plurimorumque symptomatum plenarie *a malo hypochondriaco differt*. Hypochondriaci enim morbi sedes in ventriculo & intestinis quærenda est, & cruditates primarum viarum, flatulenta harum partium distentiones, aut plane obstructiones viscerum in hypochondriis sitorum, hepatis potissimum & lienis, spasmodicasque inde oriundas constrictiones pro causa sui agnoscit. Hysterici vero mali sedes semper matrix existit, & ab humorum in utero inordinate circulantium aut plane stagnantium copia aut dyscrasia natales suos ducit. Et, licet etiam pathemata flatulenta, doloresque intestinorum & ventriculi colici cardialgicive in affectione hysterica concurrant, quamvis angustia præcor-

diorum, spirandi difficultates, palpitationes cordis, capitis perturbationes aliaque symptomata in utroque affectu adsint; hæc tamen in uterina passione per solam sympathiam eveniunt. Et symptomata gravia, qualia hystericas fœminas sæpissime vexant, quod nempe lipothymiis opprimantur, quod absque motu & sensu frigida & pallida mortuorum instar jaceant subjecta, aut horrendas convulsiones patiantur, in hypochondriaca passione penitus absunt, imo illud accidens, a quo morbus noster nomen suum mutuatur, sensus nempe strangulationis in faucibus, seu respiratio ad suffocationem usque intercepta, nusquam alibi quam in nostro affectu offenditur. Imo si a paroxysmo hysterico corripuntur, tum symptomata subito ac vehementer illas prosternunt, facile tamen & cito per fœtida iterum revocantur, quod secus in hypochondriacis contingit, & quemadmodum in hypochondriacis abdomen & hypochondria sunt inflata, ita in hystericis abdomén & umbilicus constrictus & intus retractus est m).

- l) Sententiæ hujus antesignanus HIGHMORUS existit, conf. etiam JUNKERUS, *Consp. Med. Theor. Pract.* Tab. 37. p. 326. ETTMULLER, *Coll. Pract. Opp.* Tom. II. p. 967. SYDENHAM, *Diff. Epist. de affect. hyst. Opp.* Tom. I. p. 256. E. N. C. Dec. II. A. IV. p. 135.
- m) Ulteriores differentias invenies in CæL. HOFFMANNI *Diff. de Morbâ Hysterici vera indole, sede, origine & cura*, Halæ 1733 defensa p. 29. §. 24. & in *Med. Rat. Syst.* T. IV. P. III. p. 156.

§. XI.

Caveas porro, quæso! ne, dum hystericas mulieres sine motu & sensu decumbere, aut sine sensu involuntariis motibus agitari vides, alium potius morbum, in quo talia pariter accidunt, quam hystericum subesse credas. Ita noster multum *differt* ab *apoplexia*, quamvis enim apoplecticæ personæ itidem sensibus & motibus voluntariis destituantur, attamen in illis respiratio adhuc superest, licet
cum

cum stertore exerceatur, pulsus etiam fortissime atque celerissime micat, quin ad tactum calidæ, ad aspectum admodum rubicundæ existunt, & vasa admodum inflata habent, quæ omnia in hysterico affectu graviori secus sese habent. In *syncope* idiopathica nec motum nec sensum amplius exhibent, imo pallidæ & frigidæ existunt, quod quidem in symptomatica *syncope*, spasmiss uterinis superveniente, æque observatur. Ast, si ab utero oritur, tunc facies sæpe colore adhuc rubicundo suffusa & inflata est, pulsusque non plane abolitus existit, imo diutius etiam durat, quam prior, quæ citius transit, nec ad aliquot dies, uti illud in *syncope* hysterica evenit, usque prorogatur. *Epilepsia* etiam non cum nostro malo erit confundenda, jacent quidem non solum absque sensatione frequenter hystericae, verum etiam violentis convulsionibus interdum plectuntur, ut epilepticis insultibus vexari suspicionem incurrant. Verum, cum veræ & idiopathicae epilepsiae causa in cerebri medulla sit quaerenda, hic vero uterus in culpa fit; ab hacce suspitione tamdiu liberæ manebunt, quamdiu signa hujus morbi pathognomonica, pollicis in pugnum immissio, ejulatus fortis, & spumæ ante os collectio n) apud illas sese non manifestant. Quamvis etiam cum *renum aut vesicæ calculo*, cum *colica sanguinea, spasmodica, vel flatulenta* quædam symptomata communia habeat, unicum hoc signum, quod in hisce affectibus nulla faucium strangulatio percipiatur, pro affectu hysterico cognoscendo, & ab omnibus morbis, tam his, quam aliis, distinguendo, abunde sufficit. Unicum & quidem maximi momenti discrimen adhuc superest, quum enim sæpe asphyxia hysterica detentæ mulieres pallidæ, frigidæ, respiratione & pulsu privatae, mortuarum instar immotæ jaceant, quomodo à *vere mortuis dignosci* possunt circumspiciendum. Communiter patinam aqua repletam pectori nudo imponunt, & ex aquæ undulis thoracis dilatationem adhuc fieri concludunt. Plumas, gossypium, lanam carptam, candelam
B 3
ceream.

ceream accensam vulgus ori opponit, & an motus in hisce corporibus eveniat, sollicitè observat. Alii speculum ori obvertunt, & ex illius nitore vel servato vel obfusato respirationis præsentiam hariolantur. Sed omnia hæc & plura alia dubiam, æquivocam & nequaquam sufficientem diagnosis suppeditant; cum halitus ex ventriculo mortui licet hominis adhuc exurgere hosque effectus edere æque possint, imo, licet etiam nullum horum experimentorum amplius succedat, vita tamen quædam minima superesse adhuc poterit. Validiora vero indicia frictions cum pannis asperis, excutiis, urticationes, fustigationes cum ferulis, vellicationes & evulsiones pilorum, sternutatoria naribus, clysmata acria aut suppositoria ano immissa, nobis præbent. Omnium vero certissima signa experimenta à Chirurgia petita o) & pungendo, secando, urendo calcaneum aliasque partes externas musculofo-nervosas, instituta, nobis exhibebunt.

n) Cicero Medicorum CELSUS de malo hysterico sequentia huc facientia profert Lib. IV. Cap. 20. *Ex vulva quoque feminis vebemens malum nascitur: proximeque ab stomacho vel afficitur hæc, vel corpus afficit. Interdum etiam sic exanimat, ut tanquam comitali morbo prosterнат. Distat tamen hic casus, eo quod neque oculi vertuntur, nec spumæ profluunt, nec nervi distenduntur: sopor tantum est.*

o) Conf. Cel. WINSLOW Quæstio Medica *An mortis incertæ signa minus incerta à Chirurgicis quam ab aliis experimentis & BRUHIER super illam Comment. Dissertation sur l'incertitude des signes de la mort & l'abus des enterremens & embaumemens précipités.*

§. XII.

Plurima, imo fere innumera sunt symptomata, per quæ morbus noster tanquam per sua signa sese cognoscendum sistit, & cum per paroxysmos invadat, nonnulla ex hisce signis imminentem, alia præsentem, quædam vero absolutum paroxysmum hystericum indicant. Nequaquam vero omnia symptomata in uno eodemque individuo concurrere credendum, multa quidem in omnibus, quædam vero

vero solummodo in his, quædam iterum in aliis fœminis occurrere sciendum est. Quod malum hystericum *imminent*, non meliori modo certius fit in fœminis, quam si de forti quadam tensione exterius in regione pubis & ossis sacri, & de molesta irritatione, spasmodica constrictione, ac perpetua volutione interius, in utero ejusque vicinia, id est, in ovariis, tubis ipsisque ligamentis incipiunt conqueri, quæ quidem inordinata agitatio uteri, partiumque ipsi adnexarum sensum globi in abdomine hinc inde vagantis refert, quem etiam vernacula ita ordinarie exprimere solent fœmellæ; *die Mutter seye ihnen unruhig, die Mutter seye aus ihrem Häußel, sie fahre ihnen im Leib herum als wie eine Kugel.* Hic etiam inquietus uteri in affectione hystericæ status Medicis & Philosophis quibusdam alias principibus, varia de uteri motu fabulandi ansam dedit. Priores quippe, p) licet ex Anatomica autopsia uterum cum vesica & intestino recto, nec non per ligamenta, præcipue rotunda, firmiter nexum esse, evictum sit, eundem tamen e loco suo dimoveri, & solutis habenis effrenum in abdomine hinc inde discurrere, sedemque consuetam finito paroxysmo repetere crediderunt. Nequaquam tamen etiam omnem plane motum utero denegare convenit, nec eum cum prædictis partibus ita ferruminatum esse credendum, ut non sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, & ad latera, præcipue in nostro affectu, fluctuare possit. Posteriores vero q) uterum animal in animale inclusum esse contenderunt. In quibusdam autem fœminis paroxysmus cum vaginæ solum & orificii uteri interni constrictione sese prodit. Præter has turbas in utero excitationes murmura & borborygmi insuper ventris, hypochondriorum inflationes, vertigo, capitis gravativus dolor, sensuum hebetatio, mentis torpor, pallor & frigus faciei ac extremitatum, respiratio anxiosa, pulsusque imminutio accedere ac hystericæ morbi scenam aperire ordinarie solent. Quæ quidem symptomata neutiquam sese manifestant, quam-

quamdiu uterus tranquillus & immotus existit, cum propter consensum quem uterini nervi ex intercostali pari prognati, cum aliis corporis partibus, itidem nervos inde accipientibus, alunt, aut propter sanguinis in utero ob vasa inæqualiter contracta inordinatum circulum & ad alias partes congestionem & statim demum hæcce accidentia superveniant. Hinc etiam est, ut, quo fortius & diutius uterini nervi irritentur, & quo magis paroxysmus increfcat, eo graviora semper & intensiora fiant prædicta symptomata, nova etiam sese associant, imo ob paris intercostalis cum pari vago præcipue, aliisque communionem, nullum viscus, nulla regio, nullum membrum, nulla pars corporis, os, membrana, fibra, vas musculusve fuerit, assignari queat, quæ non in malo nostro interdum affici queat, aut modo in his, modo in aliis revera afficiatur.

p) HIPPOCRATES hujus opinionis patronus esse videtur, uti illud videre est ex Lib. de Nat. muliebr. n. 3. *Si uteri ad hepar accesserint, muta derepente fit, & dentes conserit, & color niger fit, patitur autem hæc derepente dum sana est.* Et Lib. I. de Morb. Mulier. n. 5. *Maxime quum uteri ad stomachum qui nervosus est mulieri allapsi fuerint, & ad ventrem irruerint, dolet spinam & totum dorsum, & lingua ipsius refrenatur, & hanc non claram habet, & animi deliquium adest. Aliquibus etiam vocis privatio & stomachus mordetur: & flava bilis exit, spiritus offendens & anxia est, & jactat se ipsam & ardet.* Hunc ARETÆUS, FERNELIUS, LAURENTIUS, SPIGELIUS aliique secuti sunt, quod quidem, quomodo factum fuerit, non concipimus, nisi, ad magnos hosce viros excusandos, illos hic cum fœminis, & quemadmodum communiter hæc efferuntur, locutos fuisse, putare velimus.

q) DEMOCRITUS uterum ζῷον ἐν ζώῳ vocavit. Tale etiam fuit PLATONIS placitum uti GALENUS Lib. VI. de Loc. affect. Cap. V. illud recenset. *Proinde quidam, uterum veluti animal esse statuentes, quod creanda prolis gratia movetur, si privetur his, quæ concupiscit, universo corpori nocere dicunt. Qua de re Platonem ita scripsisse comperimus: ea pars, quæ in mulieribus & uterus & vulva nominatur, quum sit animal, prolem generare cupiens, si intempestive diuque infructuosum fuerit, succensens ægre fert, erransque per totum corpus, & spiritus meatum obstruens, respirareque non sinens, in extremam anxietatem dejicit, atque omnifarios alios morbos excitat.*

§. XIII.

Quid igitur mirum, quod, quando tragœdiam suam ludit *præfens* malum hystericum, abdominis viscera primum & satis fortiter inde afficiantur, utpote arctiori vinculo cum utero propter viciniam & communes nervos cognata. Et ideo spasmodicas intestinorum tenuium æque ac crassorum tensiones atque constrictiones perpetiuntur, & pathemata iliaca ac colica incurrunt fœminæ, quas paroxysmus suus corripit, à flatibus etiam multum tolerant, utpote qui cum rugitu r), sono ac murmuribus in intestinis hinc inde vagantur, & ob coli valvulam superius & sphincterem ani inferius arctissime sæpe clausum, alvumque pertinacissime constipatam, nullibi exitum invenire possunt, & frequenter etiam mulierculis, quasi uterus ex abdomine exspatiaretur, imponunt, in aliis vero qua data porta modo superne sub ructuum, modo inferius sub crepituum specie erumpunt, raro enim hystericas mulieres occurrere, quæ non omni tempore, tam in paroxysmo, quam extra eundem à flatibus multum torqueantur, sciendum est. Spasmodicæ hæc intestinorum constrictiones in tenuibus præcipue & circa umbilicum ita fortes sunt, ut peritonæi, musculorum & integumentorum abdominalium nervi pariter vellicentur, umbilicusque & abdomen ita retrahantur, ut profundam satis foveam relinquat. Hepatis, pancreatis, lienis nervosi plexus etiam in consensum trahuntur, hinc hypochondria admodum stringi necesse est. Quoniam vero magna illa duo ganglia nervi intercostalis, à figura sua semilunaria dicta, præter modo dictos plexus etiam una cum primis paribus nervorum lumbarium renibus & ureteribus fila impertiuntur, hi, quando uterus patitur, frequenter etiam anguntur, imo, dum vesica urinaria utero proxima est, hæc statim viciniae culpam luet, urinæ sic secretionem & excretionem intercipi, aut pellucidam, paucam, tenuem & cum summo dolore emingi debere necesse est, ita, ut sæpissime calculo laborare tales fœminas

credideris. Ex tali etiam urina limpida aliqui signum nostri morbi pathognomonicum s) desumere volunt. Cum porro iidem plexus, qui in renibus intricantur, per quædam filamenta cum ventriculo ejusque plexu coronario communicant t) & ad plexum mesentericum superiorem concurrunt, ibique cum nervis paris octavi conjunguntur, ventriculum sic multas ob causas immunem non relinquunt. Cur ergo appetitu prostrato, quandoque vero pica, nausea, vomendi conatu, imo actuali vomitu, & interdum pituitæ tenacis, acidæ, vel bilis porraceæ, æruginosæ per os ejectione vel cardialgia crucientur hysteriæ, non difficile est intelligendum. Quid quod hæc orificii superioris ventriculi sive cardiæ spastica arctatio ad œsophagum usque continuatur, nervique qui ad hunc & pharyngem tendunt ita constringuntur, ut, vel nucleum perpetuo in œsophago hæere sibi imaginentur mulierculæ, vel, ob fauces quasi laqueo contractas in continuo strangulationis aut suffocationis metu versentur, quem sensum iterum ob errorem vernacula, *die Mutter steigt ihnen in den Hals*, exprimere solent. Et molestum hocce symptoma, quum omnibus hysteriis accidat, & statim ab initio paroxysmi sese manifestet, & per ipsius decursum duret, imo extra paroxysmum pariter fœminis incommoda causetur, pro vero mali hysterici *signo pathognomónico*, præcipue, si sensus ille globi in infimo ventre voluti concurrat, erit habendum, ita quidem, ut, si fœmina iteratis vicibus aut subinde de sensu illo strangulationis faucium, aut deglutitionis impeditæ ob bolum quasi interceptum queratur, hocce solum jam ad illam in albo hysteriarum inscribendam sufficere debeat. Verum enim vero cum nervi intercostales in thoracis cavitate præcipue, maximam cum aliis nervis, cum illis nempe paris octavi, dorsalibus, cervicalibus, & à tertio, quarto, & quinto pari cervicalium oriundis, diaphragmaticis communionem experiantur, & in omnibus organis ibi locatis insignes plexus forment, utero
stimu-

stimulato thoracis viscera stimulum effugere neutiquam poterunt. Quatenus igitur musculi intercostales & diaphragma, imo ipsæ fibræ pulmonales asperæque arteriæ constringuntur, aut quocunque modo afficiuntur, oscitatio, respiratio laboriosa, tussis, angustia præcordiorum, aphonia, suffocationis metus aut plane actualis suffocatio inde exurgent. Cardiacus etiam hinc plexus citissime irritabitur, cordis fibræ fortiorem erethismum exercebunt, ejusque systole fortior & frequentior inde eveniet, artiarumque diastole æque ac systole pari gradu augebitur, unde palpitatione cordis admodum anxia affliguntur, pulsusque frequens, sed concentratus, parvus, quandoque intermittens plane evadit. Membranaceo-nerveæ & musculosæ capitis partes omnes, quanquam multum ab utero sint remotæ, attamen ipsius ærumnas, propter satis jam explicatam sympathiam, plus quam large etiam perferunt. Membranae quippe, quæ cranium & cerebrum tam exterius quam interius custodiunt, ita violenter trahuntur, ut cephalæa, hemicrania, sensibili præcipue illo dolore capitis *clavo hysterico* haud raro plectantur. Oculorum etiam tunicae & musculi variis spasmodis prehendantur, ut varios colores iisdem obversentur, vertigine agitentur, visus debilitetur, visione duplicata, dimidiata, aut cæcitate plane u) obruantur, lachrymas etiam involuntarie profundant, strabismo vel oculorum continua rotatione corripiantur, palpebræ etiam tremorem sentiant. Aurium tinnitus, susurrus & obauditio multis sæpe evenit. Dentium membranæ quandoque vellicantur & odontalgiam patiuntur. Aut spasmum, musculorum labia aut maxillas moventium, incurrunt, spasmoque cynico, risu sardonio, trismo aut hiatu oris mulctantur. Quid quod ad extrema usque corporis loca ab utero migrat effectus, irritatis enim uterinis & intercostalibus nervis, cum intercostale par cum nervis brachiorum, qui à quarto, quinto, sexto & septimo cervicali primoque dorsali pari constituuntur, per totidem

ganglia æque propinqua affinitate jungatur, ac cum pedis nervis, qui è nervorum lumbarium & sacrorum amplexibus fiunt; musculos, qui artibus tam superioribus, quam inferioribus regendis, præfecti sunt, spasticis motibus in hoc morbo plus quam una vice exagitari debere comperum est; imo, in motus plane enormes & convulsivos degenerant quandoque, ut vehementibus agitationibus & motionibus corpus involuntarie tamdiu concutiatur, donec in rigorem tandem & soporem, facie tunc admodum rubicunda & inflata existente, incidat. Vel multis aliis etiam miris & extraordinariis symptomatibus x) affliguntur, mirando enim modo musculis linguæ & diaphragmatis convulsis, & sensorio communi simul insolita irritatione affecto, nunc linguas peregrinas loquuntur, nunc, catalepsi ecstática correptæ, vaticinia proferunt y), nunc cantant z), nunc singultiunt, nunc in risus solvuntur aa), nunc in lachrymas effunduntur &, sensibus recuperatis, eorum quæ egerunt, ignaræ existunt. Gravissimum hoc modo memoratum uterinæ affectionis symptoma *convulsionum hysteriarum*, nostratibus *die Muttergichter*, aut epilepsiæ hysteriæ etiam nomine venit, à vera epilepsia tamen, uti supra dictum fuit, quoad essentialia maximopere differt. Quando vero diu satis & fortiter cum spasmodis aut convulsionibus conflictatum fuit genus fœmininum, irritati perpetuo & contracti nervi, illi præcipue cordis, fatiscunt tandem, resolventur, omnesque corporis muscoli parem relaxationem patientur, hinc in lipothymiam aut *syncopen hysteriæ* dictam cadunt mulierculæ, quæ Germanis *eine Mutter schwachheit* appellatur, quæ sæpe ita nubila est, ut non solum absque motibus & sensibus, respiratione etiam & pulsu sensibili destitutæ sint, sed plane absque omni pulsu & respiratione pallidæ & frigidæ, alto sopore oppressæ, mortuarum instar, per plures dies jaceant, unde etiam factum, ut, quemadmodum plura exempla illud testantur bb), pro vere mortuis hysteriæ aliquoties fuerint sepultæ & post-

liminio

liminio demum per varios casus è tumulo quædam resuscitatae fuerint, quædam vero in eodem misere suffocatae perierint.

- r) SCHENCKIUS *Observ. Med. Lib. IV. de Uteri suffocat. p. 639. ex CORN. GEMMÆ Lib. I. Cap. 7. Cosmocriz. voces mirandas ex imis visceribus exaudiri, narrat, nunc velut ranarum coaxatus, nunc serpentium sibilos, crocitus corvorum, gallorum cucurritus, latratus canum, quæ tamen pro viarum & erumpentis spiritus proportione casus effingit, vel potius otiosa imaginatio effingit.*
- s) SYDENHAM *Diff. Epist. ad Guil. Cole de affect. hyst. p. 259. in Opp.*
- t) WINSLOW *Traité des Nerfs n. 411. Conf. etiam LANGHANS in perdocta Dissert. §. 65. de Consensu Partium Corporis humani Göttingæ 1749. habita.*
- u) LANGHANS *Diff. cit. §. 59.*
- x) E. N. C. Dec. III. A. IX. & X. *Obs. 174. de Virgine recensent, quæ edito cum ingenti clamore cachinno percussam pavore materteram ad intuentum se excitat simulque trochi instar velocissime alterutri insistens pedes diu circumgyrata tandem in tergum supina concidit, moxque flumen quasi aliquod sanguinis ex ore confertim erumpens, faciem ejus totam, collum & pectus inundat. Et l. c. Cent. III. & IV. Obs. 71. de foemina quinquagenaria referunt, quod nullo prævio signo vel sensu deliquii, vertiginis, anxietatis præcordialis &c. incipit tremere solum manu dextra, tum dextro pede, postea utrisque manu & pede, denique toto corpore cum sensu maximi frigoris dentiumque sonora crepitatione, ut sponda succutiatur, salvis toto paroxysmo sensibus, qui spatium Dominicæ Sacræ durans subito terminatur & demittitur in asthma præcordiale suffocativum, ita ut aliquoties spiritum tanquam ex imis terræ, & quasi omnis ipsi aër præcluderetur, ducere cogatur, post iterum vegeta, bilaris & pro hystERICA non astimanda.*
- y) TENTAM. PHYS. MED. VRATISL. *Tent. 23. p. 305.*
- z) THIEULLIER *Consultations de Medecine Tom. I. p. 302.*
- aa) SYDENHAM l. c. p. 259. HOFFMANN *Med. rat. syst. Tom. IV. P. III. p. 155. ETTMULLER Coll. præct. T. II. p. 963.*
- bb) *Conf. Dissertation sur l'incertitude des signes de la mort & l'abus des enterremens & embaumemens précipités par M. WINSLOW traduite & commentée par M. BRUHIER p. 101. 199.*

§. XIV.

Non tantum iisdem incommodis obnoxia sunt, verum omnia acerbiora adhuc experiuntur illæ foeminae, quæ malo complicato, nempe hypochondriaco hysteric

laborant, quoniam enim flatulentis pathematibus primarum viarum & obstructionibus mesenterii, hepatis, lienis, ob impeditum sanguinis in vena portæ circulum, ægrotant, spafmi & constrictiones in visceribus abdominalibus, quando ob consensum cum utero eveniunt, multo sensibiliores & vehementiores adhuc erunt, quum jam propter morbum primarium ad irritabilitatem valdopere sint disposita. Imo, si stasis in vasis sanguineis viscerum infimi ventris invalescit, circulusque sanguinis sic magis magisque turbatur, in cerebro etiam liquidorum cursus tandem inordinatus fit, iudicii atque imaginationis vires sic perturbantur, hinc iracundæ, tristes, querulæ, pusillanimes, meticulosæ cc), taciturnæ, speculabundæ fiunt tales fœminæ, quod symptoma tunc *melancholia hysterica* audit. Aliæ vero ex tali phantasiæ & mentis perversione in maniam sæpe præcipitantur, & ubi malum primitus nimiam quantitatem, orgasmum & acrimoniam humorum in utero, ovariis, tubis, vagina, nymphis, clitoride stagnantium, harumque partium titillationem pro causa agnoscit in *hysteromaniam* seu furorem uterinum & immodicum impudicumque veneris appetitum plane conjiciuntur tales fœmellæ. Quoniam ergo ample satis nunc explanavimus quod cum multis magnisque symptomatibus fœminis hysterico paroxysmo occupatis luctandum sit, illud etiam assertum, quod in fronte nostræ tractationis proposuimus, mulierem nempe morbum omnem simul pati, firmo, uti opinamur, stabit talo, cum nullum symptoma, nullus fere morbus, quem non passione uterina decumbens fœmina ut plurimum tolerat, induci possit, quumque Proteo mutabilior in corpore muliebri uterus existat, recte dd) *infinitarum æumnarum in muliere causa uterus* vocatur. Quod vero tandem ex omnibus hisce fluctibus bonis avibus emerint misellæ, & paroxysmus *solutus sit*, hisce signis manifestatur. Sensim sensimque post oculorum apertionem & profunda suspiria pulsus liberius micare, respiratio facilius

lius exerceri incipit, calor naturalis in corpore redit, facies & genæ rubore iterum suffunduntur, quædam stertunt fortiter, quædam sudant large, quædam flatus per superiora aut inferiora copiose emittunt, quædam etiam bilis aut pituitæ multum evomunt, vel per anum dejiciunt, quædam denique humoris mucidi quippiam è genitalibus excernunt ee), & sub hisce excretionibus quasi critiche contingentibus omnino ad se redeunt, ut sensuum etiam omnium & motuum muscularium usum recuperent, nullo amplius incommodo ex tolerato gravi insultu remanente, nisi, corporis & artuum lassitudinem, lumborum dolorem, quasi fustibus percussæ fuissent, capitis temulentam occupationem, & levem virium per tempus adhuc prostrationem, excipias.

cc) Hinc Doctiff. SYDENHAM l. c. p. 259. *Neque hoc tantum nomine infelices sunt, inquit, quod corpus ita male affectum, & quasi conquassatum, ad instar ædium ruinas undiquaque minitantium, tantum non corruat & fatiscat, cum magis adhuc animo ægrorent, quam corpore. Cum enim desperatio plane insanabilis de hujusce morbi natura sit, indignantur admodum quoties aliquis vel minimam de sanitate recuperanda spem injecerit; facile interim credentes omnia sc. quæcunque in homines cadere possunt incommoda, quæque adeo feri rerum natura, perpeffuras, tristissima quæque sibi ominantes.*

dd) DEMOCRITUS *Hipocrati de Natur. human. n. 75.*

ee) RIVERIUS *Prax. Med. L. XV. C. VI. Opp. p. 380.*

§. XV.

Multiplices hos, miros & complicatos effectus omnes, ab uno eodemque fonte, utero nempe ejusque nervis & vasis, originem suam ducere, jam probatum ivimus, licebit igitur pro mali hysterici *causa proxima* justo fortio-rem vaforum ac nervorum tam uteri, quam reliquarum partium, genitalia muliebria constituentium, irritationem, in aliis etiam corporis partibus ob consensum similes irri- tationes inducentem, venditare. Sic enim æthiologia omnium symptomatum, quæ hystericas affligunt, satis clara facilisque evadit, uti supra illud ample jam discuf-
simus.

firmus. Nam cum uterus nervos suos non solum à lumbaribus & sacris, verum etiam ab intercostali pari accipiat, hoc vero in abdomine longelateque sese distribuatur, & præcipue cum pari vago & lumbaribus nervis ibi locorum per multa ganglia communicet, sicque plexus mesentericos, femilunarem, renales, splenicum, hepaticum, cœliacum, solarem, stomachicum potissimum constituere juvet, cumque iterum in pectore ob paris vagi & dorsalium intextum plexum pulmonarem & cardiacum efformet, imo cum extremitatibus tam superioribus ope cervicalium, quam inferioribus ope lumbarium & sacrorum nervorum affinitatem alat, in capite etiam cum quinto & sexto pari nervorum medullæ oblongatæ arctissimo cognationis vinculo junctum fit idem, hique nominati nervi iterum cum aliis nexum habeant, utrum sic cum omnibus corporis humani nervis sympathiam sustentare quis negabit ff). Nemo igitur mirabitur, quod uterinis nervis graviter irritatis & spasmodice constrictis, aliorum etiam viscerum tam abdominis quam pectoris nervosi plexus vellicari tendique pariter possint, imo ad remotissimas usque corporis partes hicce erethismus sese propaget, aut etiam vice versa, tam à dissitis, quam vicinis nervis affectis uterus sæpissime etiam acerbè plectatur. Et inde tensiones in regione pubis & lumborum, dysuriam, ischuriam, alvum constipatam, pathemata colica, iliaca, cardialgica, umbilici constrictiones, pectoris pressiones, præcordiorum anxietates, spirandi difficultates, cordis palpitationes, syncopes, gutturis arctationes suffocationis metus inducentes, capitis dolores, oculorum, aurium, dentium affectus multifarios, artuum spasticas contractiones, convulsiones, aut plane eorundem resolutiones, ut absque motu & sensu, pulsu ac respiratione sensibili destitutæ decumbant, cæteraque symptomata deducenda sunt, quorum explicationi amplius immorari superfluum foret.

ff) De Nervi intercostalis distributione & cum aliis communionē conf. WINSLOW *Traité des Nerfs* n. 357. sqq. VIEUSSENS *Neurogr. univ.* Tab. 23. SALTZMANN *Diff. de Miraculo Naturæ Utero muliebri* §. 19. LANGHANS *Diff. de Consensu partium corporis humani* §. 58. ad 72.

§. XVI.

Nequaquam vero uteri æque ac aliarum partium solito major stimulus & inæqualis constrictio locum invenire potuisset, ni causa quædam in corpore jam diu præsens fuisset, quæ uteri vasa & fibras ad irritabilitatem disposuisset, hæc ergo *remota* passionis uterinæ *causa* existit. Et cum in uteri vasis & fibris nihil aliud contineatur quam sanguis & inde secreta lymphæ variæ naturæ ac tenuitatis, quæ motu, quantitate & qualitate à statu naturali multis modis deflectere potest, causam remotam haud immerito in humorum, ad uterum reliquasque muliebrium genitalium partes latorum, vel motu inordinato, vel quantitate nimia, vel qualitate præcipue spissa & acri collocamus. Sed à nimio humorum abundantium in villos & canales uterinos impetu, eosdem nimium distendi & ad reactionem contractionemque fortiorem disponi, quis non concipit, qui quidem spasmi, si simul spissitudine aut acrimonia peccant liquida, vehementius adhuc incrementum. Primo igitur loco omnium humorum promum condum sanguinem accusare licebit, quatenus vel citato nimis cursu ad uteri, tubarum, ovariorum, vaginæ aut exteriorum partium vasa fertur, vel plethora, præcipue menstrua, matricis viscus occupat, vel tenacitate & acrimonia imbutus est idem, imo plane quandoque ob dyscrasiam suam incommensurabiles vias uterinas reddit, atque, dum ab utero sic reliquus arcetur sanguis, congestionibus in aliis locis ansam præbet, omni vero modo semper stimulum in vasis uterinis inducet satis molestum. Lymphæ deinde illa glutinosa, quæ ex uteri, vaginæ, tubarum & ovariorum osculis extillat, sæpissime in culpa etiam est, & imprimis, quando acrimonia

nia inquinata est, fibras immoderate vellicat. Hinc etiam à plurimis Pathologis vera mali hysterici sedes in ovaria refertur, ejusque causam testium muliebrium sive ovariorum lympham acrem seu semen muliebri tenax aut acre esse statuunt. Et quamvis non semper ovaria in morbo nostro labe prædita sint, frequenter tamen illa præternaturaliter constituta esse gg) & culpam participare sectiones cadaverum abunde patefecerunt. Ultima denique & defæcatissima corporis humani lympa, nervea videlicet, dum nimio motu in nervos & villos matricis musculares irruit, illas replet & extendit, eorum irritationem & spasmodicam constrictionem non solum efficaciter suscitatur, verum etiam, ut aliæ nervosæ partes in consortium trahantur, primaria causa existit.

gg) In ovariis sæpissime *serum viscidum, corruptum, putridum* RIVERIUS *Prax. Med.* L. 15. c. 6. p. 379. *Opp. liquorem æruginosum, croceum aut flavescenscentem* DIEMERBROEK *Anat.* L. 1. C. 24. p. 131. *Opp. induratum semen ut steatoma referret* BONETUS *Sepulch. s. Anat. Pract.* L. 3. S. 33. *Obs. 4.* & BINNINGER *Obs. & Cur.* Cent. 2. *Obs. 90. uterum una cum testibus & vasis deferentibus materia seminali corrupta, quæ caseo recenter coagulato haud absimilis erat turgidum* MANNAGETTA E. N. C. Dec. I. A. I. *Obs. 32. steatomata & atberomata* RUYSCH. *Adv. Anat.* Dec. I. p. 6. *lapillos* REGN. DE GRAAF *de Mulier org.* C. 12. p. 178. *pilos, ossa, dentes, materiae flavæ & spissæ instar sebi aut olei immersos peritissimus Xenodochii Regii Argentoratensis Chirurgus Primarius Dn. LE RICHE recensentibus illud* MEMOIRES DE L'ACAD. ROYALE DES SCIENCES A. 1743. *Hist.* p. 88. *hydrides* JOH. MAUR. HOFFMANN E. N. C. Dec. 2. A. 5. *Obs. 207. hydropem stupendum* ZWINGERUS l. c. Dec. 2. A. IX. *Obs. 136. inventum fuisse memorant, ut multas alias observationes omittamus, unicam soluinodo memoratu admodum dignam adhuc allaturi, uterum nempe osseum inventum fuisse in foemina, quæ malum hystericum toleravit, fidem faciente* MAYR *Comm. Litter. Norimb.* 1731. p. 238.

§. XVII.

Non autem remota causa sola, humorum nempe quantitas vel qualitas, inæquales uteri stricturas malumque hystericum inducèret, ni aliæ adhuc causæ, quæ dispositionem

tionem hanc excitant & augent , eidem sese associarent. Ansam itaque malo nostro præbent & ejusdem *causæ occasionales* existunt præ aliis aër , tam calidus M. Seam expandens & eandem nimis celeri motu ad uterum determinans, quam frigidus & ejus vicissitudines, præcipue tempore mensium aut puerperii perpessæ, utpote quibus stas humorum uterinorum accidere solent , quem effectum etiam quæcunque corporis refrigeratio aut humiditas facere potest. Diæta etiam inordinata ciborum lautorum, crasforum, viscidorum, farinaceorum, dulcium hh), plethoram & dyscrasiam generantium, aut potus calefacientis, vinorum generosorum, liquorum spirituosorum, decoctorum Coffe vel Chocolatæ abusus huic morbo inducendo maximopere favet. Potus etiam neglectus, quatenus sanguis sic inviscatur, multum etiam huc contribuit. Motus corporis nimius, humores exagitando, aut intermissus, eosdem inspissando, uterinæ passioni multoties portam pandit. Hinc illas potissimum ex sexu sequiori, quæ delicatulae & vitæ sedentariæ deditæ sunt, otium potius & lectum quærunt, præ agilibus, laboriosis aut rusticis fœminis vaporibus hysteris agitari quotidie comperimus. Idcirco etiam, quæ animi affectibus regere se patiuntur mulieres, dum sic miris modis sanguis in circulo suo turbatur, presso sæpe pede malo hysterico plectuntur. Tristitia enim aut metus, vel etiam ira, furor brevis, fœcunda interdum symptomatum hysterorum mater evadit, cholericæ ideo ii) aut sanguineæ kk) temperamenti fœminæ præ reliquis huic affectui sunt obnoxia, aut saltem gravius indeprehenduntur. Imo inter sanguineas & plethoricas illæ, quæ continuo veneris desiderio flagrant, attamen voti sui compotes non evadunt, quales virgines viro maturæ, viduæ juniores ll), fœminæ etiam maritatae sed sine prole viventes, existunt, multas calamitates & has etiam ab utero patiuntur. Easdem vero citius & vehementius incurrent tam prædictæ quam aliæ fœminæ, si vel

hæmorrhoidum vel catameniorum difficili & insufficienti eruptione, suppressione, aut cessatione, lochiorum etiam intercepto fluxu laborant, frequentissime enim sanguinem uterinum retentum pro causa agnoscit noster morbus. Hinc etiam nullis in sexu fœminino parcit noster affectus, dummodo sanguine turgēt ipsarum matrix, & puellas pariter ac vetulas, instante lunari tributo mm), durante fluxu, eodem finito, æque adoritur, neque gravidæ immunes sunt, sed omni graviditatis tempore, in ipso partu nn), aut post illum oo) ab illo corripī possunt. Illæ vero mulieres, quæ hæmorrhagiam nimiam uteri, menses, vel lochia, aut hæmorrhoides nimias, abortum frequentem, puerperium grave tolerant, vel fluore albo vexantur, ob uteri fibras nimis debilitatas pari incommodo corripīuntur. Quæ sanguinis ventilationes insuper habent, aut alvinæ excretioni non student, sudorem & transpirationem non sollicitè curant, hunc morbum etiam acquirunt. Quæ emeticis aut catharticis fortioribus drastis abusæ fuerunt, ob nimiam fibræ universi corporis inductam oscillationem, quæ sæpe in habitum degenerat, sibi inde labem hanc etiam affricant. Omnia etiam heterogenea utero inhærentia, molæ, steatomata, hydatides, calculi, pili, fœtus petrefacti, abscessus etiam, ulcera, scirrhi, carcinomata in utero facta, coalitus ejusdem, prolapsus uteri aut inversio ejusdem, vaginæ paria vitia, multaque alia, uteri nervos irritando, tendendo, symptomata hysterica suscitare possunt. Et, cum aliis etiam corporis nervis vellicatis, ad uterum usque propagari possit sensatio, odores variorum suaveolentium, v. g. Fll. rosarum, aurantium, violarum, ambrae, moschi, zibethi &c. fœminas momento citius in paroxysmum hystericum conjicere, quis mirabitur.

hh) ETTMULLER l. c. p. 965. inquit : *Sic novi vetulam quandam fere 60 jam annorum, quæ à solo passulae unius usu graves passiones hystericas persensit.*

ii) HOFFMANN *Med. Rat.* l. c. p. 160.

kk) SYDENHAM l. c. p. 257. dicit. *Fœminæ, quibus hæc species, quæ uteri*

uteri strangulatus vulgo audit, familiarior est, temperamento sunt ut plurimum plus quam solet sanguineo & habitu corporis ad viragines accedente.

ll) GALENUS de *Locis affectis* L. VI. C. V. ponit. Convenit inter omnes medicos hunc affectum magna ex parte viduis evenire, iisque maxime, quæ cum untea probe purgarentur ac parerent, atque virorum concubitu gauderent, omnibus his fuerint privatae.

mm) HIST. MORB. VRATISLAV. A. 1701. p. 267.

nn) HOFFMANN. Diff. cit. p. 11.

oo) RIEDLIN *Lin. Med.* A. 1700. p. 69.

§. XVIII.

Quid fœminis, quibus ab utero spasmi accidunt, sperandum vel timendum sit, in *Prognosi* dicendum nunc est. Morbus hystericus molestum magis quam periculosum est malum, quamdiu aliorum viscerum præter uteri functiones, vitalium præcipue, non inde læduntur.

Si juniores corripit puellas, quando menstruum incipiunt solvere tributum, ordinario cessat, aut, si tunc non cedit, quando viro junguntur, aut pariunt, plenarie profligatur.

Fluxus menstruus ordinatus quoad maximam partem est optimum auxilium, quo juvantur efficacissime hystericæ, hinc, quando à suppressione ejus oritur passio, hoc redeunte abit, id quod etiam de lochiorum aut hæmorrhoidum restitutione est tenendum.

Quotiescunque igitur fœminas ad senectutem usque comitatur hic affectus, aut vetulas corripit, quum uterus ipsarum non amplius repurgetur, tunc est magis gravis, imo ni ventilationes sanguinis artificiales instituant, apoplexia, hemiplegia, catarrho suffocativo frequenter pereunt.

Fatale etiam est hoc malum, quando gravidas apprehendit, quoniam illas in abortus periculum conjicit, imo quandoque jugulat.

Si vero plane parturientes in ipso partus opere paroxysmus invadit, vita interdum sub insultu privantur pp).

Puerperis etiam ob prægressam debilitatem uteri est periculosus.

Quo pauciora symptomata concurrunt eaque magis ordinaria, eo major spes affulget, quod arte vinci possit.

Quaecunque mulier de suffocationis aut deglutitionis impeditæ sensu queritur, ea in hysteriarum ordine jam militat.

Quando cum convulsionibus luctantur hystericae, tunc vehemens est affectus, praecipue si saepius recurrunt & in habitum degenerant, nam epilepsia tunc idiopathica est metuenda.

Aequè fonticum est censendum, quando syncope diuturna opprimuntur, saepe enim à pallida morte suffocantur, aut, si hoc non contingit, mortuarum instar decumbunt, quapropter non ante triduum aut antequam signa putrefactionis adsunt humo committendæ sunt, ne vivæ sepeliantur.

Periculo etiam haud caret illud malum, quod vocatur hypochondriaco-hystericum, cum enim complicatum sit & obstructione viscerum abdominalium simul laborent hæ personæ, in hecticam, hydropem, interdum in melancholiam & hysteromaniam plane incidunt.

Facilius semper curatur quando à sanguine abundante quam si ab ejus dyscrasia aut feri vitio natales ducit affectus.

Quod ergo cum fluore albo, chlorosi, lue venerea conjungitur, diu non curatur.

Qui ab ulcere, carcinomate, aut alio quodam habituali in utero aut aliis genitalibus partibus vitio oritur, medicinam omnem respuit.

Omne quod in habitum degeneravit malum funditus raro tollitur.

Flatibus aut sudoribus erumpentibus, vel etiam si stertutatio supervenit qq), paroxysmus ordinario solvitur.

pp) Alter Medicorum Cicero PECHLINUS *Obs. Phys. Med. Lib. I. Obs. 30.* parturientem suffocatione uteri convulsiva extinctam fuisse recenset.

qq) HIPPOCRATES *Aph. Sect. V. n. 35.*

§. XIX.

Ut ab omnibus hisce incommodis liberentur ægrotæ, curandum erit Medico, quod quidem optime efficiet, si tam in paroxysmo, quam extra eundem morbum rationali methodo aggreditur. Cum igitur spasmi nervorum tam uterinorum quam aliorum hysterici mali causæ sint, cumque ibidem stagnans sanguis aut lymphæ spissæ & acris spasmodicas has constrictiones inducat, ad morbum nostrum profligandum *in paroxysmo* hæc indicationes adhiberi debent.

I. Spasmi nervorum uterinorum sunt relaxandi.

II. Humores in utero congesti & stagnantes ab illo sunt revocandi.

Prima indicatio spasmodicarum constrictionum relaxationem requirit, cum enim, quidquid molesti patiuntur, à vicinarum æque ac remotarum partium spasmis oriatur, hisce sublatis, symptomata in totum fere cedent. Obtinebimus vero illud per remedia potissimum externa, variis locis & modis applicata, quæ vi particularum suarum Ætherum, subtilium, vaporosarum fragrantium tam uteri, quam reliquarum partium nervos demulcent, eorumque stimulos sedant. Talia præcipue sunt graveolentia & fœtida, quæ specificam fere vim in malo hysterico meruerunt, gummata & resinæ, Asa fœtida v. g. Sagapen. Galban. Ammoniac. Succin. Opopan. Bdell. Petroleum, Camphora etiam & Castoreum ejusque Essentia ad odorandum naribus oblata, plumæ itidem perdicum, charta aut linteum cæruleum, pix, sulphur, corium, aut calceus vetus, cornua, unguæ, pili, Nux Moschata oblonga præcipue, accensæ, & suffitus eorum ad nares & fauces directus. Vel emplastra ex Opopan. Bdell. Galb. Asa fœtida, epithemata etiam ex Allio & crusta panis umbilico aut regioni pubis applicata. Cingulo etiam ex corio cervi in coitu transfossi, aut ex corio fœminino rr), vel Moscovitico *Zuchtenleder* vocato

cato ss) abdomen circumdant. Sertis quædam ex Rut. Tanacet. Absinth. caput coronant. Balsama etiam Rut. Succin. Axung. Castor. vertici, nuchæ, temporibus, umbilico inungunt. Suaveolentia etiam, quod curiosum est, quemadmodum naribus excepta paroxysmum hystericum provocant, ita Ambr. Mosch. Zibeth. Styrax aut Benzoe gossypio indita & sinui pudoris immissa, hystericas citissime revocant. In aliis vero subjectis, imprimis in sanguineis, omissis suaveolentibus & graveolentibus omnibus, utpote quæ malum sæpe augment, sola blandiora, Aqu. spirituos. v. g. Lavend. Regin. Hungar. Meliss. comp. sine Pari, vel Aceta Rut. Tunic. Menth. Theriacal. pro nervis matricis pacandis omnibus reliquis palmam præripiunt. Clysteres etiam ex folis emollientibus & carminativis parati, auxilium quoque demulcendi scopo afferunt exoptatum. His vero adjungenda etiam sunt interna remedia antispasmodica, si nempe paroxysmus non ita gravis est, ut asphyxia hystericæ obruantur, sed sensibus adhuc valent & deglutire possunt ægotæ, exhibendo nempe illis potiunculas ex Aq. Meliss. Puleg. Menth. Artemis. Hysteric. Quercetan. Hirundin. c. Castor. & Lumbric. Terrestr. Unic. Ungul. Alc. ☉, ☿, Succin. ☿. antispasm. specif. cephal. Michaël. pulv. epilept. Marchion. nigr. Kueff. de Guttet. Sale sedativo Homberg. & Syrup. Menth. Artemis. Poëon. admixtis etiam interdum anodynis tt) Laudan. liquid. Sydenh. Syr. Papav. alb. paratas, aut, omissis aquis & syrupis, pulveres ex prædictis medicamentis conflatos, quibus in serosis temperamentis Eff. Castor. Liq. C. C. succin. anodyn mineral. Hoffmann. ☉ animal. Dippel. Eff. dulc. carminat. Wedel. Elix. uterin. Croll. Liliu Paracels. substitui possunt, propinando simul diluentia, infusa videlicet theæformia ex Hbb. uterinis discutientibus Meliss. Menth. Puleg. Marrub. Betonic. Flor. demulcentibus & carminativis Verbasc. Melilot. Chamom. Rom. & Sem. Badian. concinnata. Et, quo tensiones in nervosis partibus citius remittant, in lectum transportandæ statim sunt

sunt mulieres sub primo mali insultu, omniaque vincula, fasciæ, thoraxque solvendus, ne, hisce cautelis neglectis, spasmi vehementius incrementum acciperent, aut suffocatio acceleretur.

Altera indicatio sanguinem & humores ad uterum aggestos, ibidemque difficilius circulantes ab eodem revocandos esse suadet. Respicit hæc illas præcipue hystericas, quæ graviter decumbunt, & quæ profundo sopore atque syncope hysterica corripiuntur, & adhibitis licet variis discutientibus & graveolentibus tam externis quam internis, excitari ne utinam possunt. Arguit vero hæc sensuum obfuscatio & immobilitas humorum in uteri æque ac aliis vasis corporis impeditum circuitum aut stasim, solidorum vero ad contractionem & actionem inertiam. Ab utero igitur revellere liquida superflua, solida vero vellicare, hocque modo motus in corpore refuscitare, & sopitas ad sensum revocare, ocyus citius convenit. Si itaque antea laudata odorifera fortia variis sub formis exhibita, efficacem operam non præstant, \ominus ia \wedge lia \square sa cum \circ ois aromaticis æthereis, aut liquores \square osi \wedge les cum \curvearrowright bus nervinis cephalicis mixti, \ominus \wedge le, v. g. C. C. \star c. \circ o dest. Lavend. Rut. Menth. Lign. Rhod. irroratum, vel \curvearrowright Ceraf. Lavend. Lil. Convall. Meliss. \curvearrowright \ominus \star c. Liq. C. C. succin. naribus ad motus efficacia sua tamen non destituentur. Sternutatoria etiam naribus inflata vellicando nervos non solum olfactorios verum etiam totius corporis hic haud inanem præstabit opem. Suppositoria etiam aut Clysteres ex acris & stimulantibus ano immixti ex Fol. Senn. Tabac. Electuar. è Bacc. Laur. Hieræ Picr. Cathol. Mell. Anthos. Extr. Hellebor. nigr. \ominus gemm. \oplus \dagger iat. \ddagger r. emet. fumus etiam Tabaci ano inflatus stimulum inducendo nervis tam intestinorum quam uteri, circuitum humorum promovere hystericasque excitare optime valet. Quorsum etiam emetica spectant, quæ hic non plane rejicienda sunt. Frictiones etiam extremitatum cum linteis calidis, pannis asperis, aut excutiis, vesicatoria furis & sinapismi plantis pedum appositi, cauteria aut sectiones cuti inflictæ, insersiones aquæ frigidæ in faciem

ciem, labiorum cum +to aut ⊖le titillationes, pilorum, præcipue in pube, vellicationes aut eorundem evulsiones, machinæ electricæ applicationes, quum paralyticos & hemiplecticos uu) restituat, hystericas sine motu & sensu jacentes raro absque exoptato effectu relinquent, cum hisce omnibus irritandi universum systema nervosum, humores ab utero revocandi, aut eos in motum iterum agendi maxima vis insit. Omnibus vero auxiliis, quæ pro spasms relaxandis æque ac humoribus à matrice revellendis, iisque in circulum redigendis proficua esse possunt, palmam jure merito præripit V. Sio, utpote quæ in paroxysmo & syncope hysterica sanguineis præcipue, & menstruorum suppressione laborantibus fœminis, gravidis etiam, parientibus aut puerperis, in brachio vel pede administrata, egregiam plane opem affert, & paroxysmum citissime ac felicissime dissolvit. Multo inferiorem non spernendum tamen effectum cucurbitulæ etiam & hirudines hoc tempore promittunt. Si vero felici cum successu irritantia hæcce exanimis quasi resuscitaverunt, tunc internis antispasmodicis & uterinis locus concedendus eorumque usus sedulo commendandus est.

rr) ETTMULLER l. c. p. 971.

ss) HOFFMANN *Med. Rat.* l. c. p. 171.

tt) Anodyna caute & tempore ac modo convenienti data inter remedia primum locum occupare merentur, & in nostro etiam morbo excellentem opem præstant: conf. SYDENHAM l. c. p. 267.

uu) Conf. DESHAIS doctissima *Diff. de Hemiplegia per Electricitatem curanda* Monspelii 1749. qui p. 24. ita de ejus effectu in nervos loquitur: *electrificatione vis additur fluido electrico sopito, & nervos difficilius pervadenti, fit via vi, rumpuntur aditus nervorum viscidis pblegmatibus oclusi; nervis elasticitas, libertas, sensibilitas, eorum fluidis copia, velocitas, electricitas pristina restituuntur.*

§. XX.

Quando sic à præsentis periculo liberatæ fuere fœminæ, ne denuo illud recurrat *extra paroxysmum* Medico est allaboran-

borandum, quod quidem, ut recte fiat, in causas, quæ antecedenter morbum inducunt, sedulo est inquirendum. Si itaque à sanguinis orgasmo, quantitate aut spissitudine, & frequenter subsequente mensium suppressione natales ducit malum, his indicationibus est debellandum.

- I. Sanguinis quantitas est imminuenda & ab utero revocanda.
- II. Ejusdem orgasmus est temperandus, spissitudo attenuanda, & excretiones in ordinem redigendæ.
- III. Impuritates è corpore sunt educendæ.
- IV. Tonus nervorum tam uteri quam totius corporis est roborandus.

Prima indicatio optime V. Sne absolvitur, & si menses aut lochia suppressa sunt in pede administranda & aliquoties repetenda est, in spongiosis etiam cucurbitulæ cruribus & furis applicandæ, sanguisque scarificatione educendus est.

Secunda indicatio usum remediorum temperantium, absorbentium, Osorum, Sinorum exposcit, quibus scopo temperandi & diluendi juscula medicata ex Radd. & Hbb. refrigerantibus Radd. nempe Cichor. sylv. Fragar. Acetos. Hbb. Portulac. Lactuc. Endiv. Chærefol. Beccabung. parata, Acidulæ etiam \ominus e resolvente præditæ Teinacens. Carol. Selteran. Griesbac. Antegast. jungi debent, Infusa etiam Theæformia, Decoct. Avenac. Serum Lact. dulc. Hoffmann. & ptisanæ eidem scopo velificantur. Scopo vero resolvendi spissitudinem sanguinis & excretiones consuetas, menses nempe & lochia in ordinem redigendi, Pilulis Beccherianis aut Stahlianis palmam jure meritoque concedimus.

Tertia indicatio laxantia exposcit, in quorum numerum optime mox laudatæ pilulæ polychrestæ, præcipue si cum Gumm. Ammoniac. Extr. Panch. Croll. aut Rhab. comp. acuuntur, vel etiam potiunculæ Rhabarbarino Manatæ aut Serum Lactis Tamarindinum floribus laxantibus alteratum, collocari poterunt. Clysteres etiam, quæ alvum ad officium suum exhortantur, hic admodum proficui sunt.

Quarta demum indicatio, cum post omnem solidorum tensionem nimiam aut nimis diu durantem tonus tandem fatiscat, roborantia tonica sub se comprehendit, sed omnem fere hic paginam ♂ lia remedia absolvent, Limatura ♂ tis alcoholis. Tinct. ☉li ♂ tis variorum Autorum, Tartarus ♂ ial. solub. Syrup. Chalybeat. Acidulæ ♂ te scatentes v. g. Pyrmontan. Swalbacenses, Petrinæ, Pilulæ denique ♂ ial. Syd. quæ tunc efficacissimæ erunt, quando cum Beccherianis nuptæ erunt. Corticem Peruvianum etiam remedium egregium tonicum in hysteris evadere posse non adverstamur xx). Insigne quoque solamen & robur hysteriæ fœminæ, quando ad Thermas proficiscuntur, acquirunt, inter quas Ferinæ, Embsenses, Badenses, Wisbadenses, Piperinæ, Sulzenses, Hubanæ laudare præcipue decet. Domi etiam parata balnea vel ex aqua dulci sola, vel ex herbis aromaticis & uterinis concoctis bene hystericas juvant.

xx) Conf. SYDENHAM l. c. p. 273. & RENEAUME *Memoires de l'Acad. Roy. des Scienc. A. 1713. Hist. p. 35.*

§. XXI.

At si à seri vitio ejusque spissitudine aut acrimonia formatur uterina passio, sequentibus indicationibus contra illam insurgere debemus.

- I. Seri aut sanguinis pituitosi dyscrasia est resolvenda & corrigenda.
- II. Si resolutæ sunt impuritates, tunc è corpore sunt eliminandæ.
- III. Tonus partium debilitatarum est restaurandus.

Prima indicatio remedia incidentia, sanguinem depurantia, anticatarrhalia, aperientia, diluentia requirit. Horum classem implent Radd. Rub. Tinct. Lapath. acut. Bardan. Levist. Angel. Galang. Zedoar. Sarsæparill. Lign. Juniper. Sassafr. Quajac. Hbb. Menth. Matricar. Puleg. Meliss. Artemis. Fll. Cheir. Anth. Genist. Urtic. alb. Croc. Ess.

Eff. Succin. Lign. Myrrh. Croc. Pimpin alb. Tinct. ☿ri, † ii, ☉ia media & alcalia alterandi scopo data, Sapo Venet. aut Hispan. Gumm. Ammon. Milleped. Liq. terr. fol. ☿ri aperit. min. Anim. Rhei, Pilulæ Beccherianæ, juscula medicata ex herbis recentibus antiscorbuticis aut succis earundem cum Millepedibus parata. Quæ omnia in complicato malo, hypochondriaco nempe hysterico, indicata maximopere etiam existunt. Acidularum etiam præcipue Selteranarum usus hic erit suadendus, quæ vel solæ, vel si acrimonia in sanguine adest cum Lacte nuptæ potari possunt, ita etiam Lac solum vel Asininum, Caprillum, aut Vaccinum, in uteri carcinomate aut ulcere exoptatum foeneratur effectum, & Lac cum aqua Calcis secunda scissum in uterino ulcere remedium est probatum, ut multa alia remedia ab Autoribus tanquam specifica celebrata yy) nunc prætereamus.

Secunda indicatio remedium evacuantium adhibitione nititur, inter illa ☉ia media, Vegetab. de Seign. Mirab. Glaub. Sedlic. Arcan. duplic. Cathart. amar. Pilulæ polychrestæ cum extractis amaris conjunctæ, noduli etiam per epicrasin laxantes, & pituitam successive eliminantes conducunt, emetica etiam interdum proficua esse possunt, nec clysmata hic omittere debemus.

Tertia denique indicatione & roborantibus curæ finem imponimus. Præscripsisse igitur hic iterum ♂ialia juvabit, Thermæ etiam illis conferent, nec plane virtus omnis externis, quæ pro roborandis nervis & spasms uterinis præcavendis commendantur, est deneganda. Emplastra enim uterina aut olea umbilico aut regioni pubis applicata, Ac. foetid. Galban. Sagapen. Castor. Camphor. sindoni rubro inclusa & supra umbilicum gestata, inter cucphas confuta, aut de pectore vel collo suspensa zz), multis hysterics profuisse constat. Ultimo denique loco conjugii etiam vim & viri confortium pro curando aut præcavendo paroxysmo hysterico prædicare etiam liceat aaa).

- yy) Talia sunt $\circ\circ$ Squinanthi Indici COMM. LITTER. NORIMB. Ann. 1735. p. 8. Tinctura Dippelii antinephritica l. c. p. 43. Lapis Pedro del porco dictus l. c. p. 15. Lapis Quadra Sinensis E. N. C. Cent. 7. & 8. p. 403. hepar lupi exiccatum RIVERIUS l. c. p. 384. Tinctura duVerney MEMOIR. DE L'ACAD. DES SCIENCES A. 1704. Hist. p. 22. & plura alia in A. E. L. Suppl. Tom. II. p. 17. recensita.
- zz) Radicem Peucedani etiam gestant, aut vulpis veretrum exiccatum cum testiculis de collo suspensum supra umbilicum gerunt, conf. RIVERIUS l. c. p. 384.
- aaa) Consentientibus HOFFMANNO *Med. Rat.* l. c. p. 175. ZACUTO LUSITANO *Prax. Med. admirand.* L. II. Obs. 93. & HIPPOCRATE *de Virginum morbis* n. 3. *Ego vero jubeo virgines, quum hujusmodi patiuntur, quam citissime viris cohabitare. Si enim conceperint, sanæ fiunt.*

§. XXII.

Inanem vero operam fumeremus, si ex chirurgico æque ac pharmaceutico fonte auxilia malo hysterico opponere, & *diæticum* negligere vellemus. Ante omnia ergo hysterics aër serenus, purus, levis, in quantum possibile est suadendus, vicissitudines ejus, calor præcipue atque frigus, humiditas etiam omnis sedulo est vitanda. Cibis levibus, digestu facilibus vescantur, & omnia cruda, dyspepta, farinacea, dulcia fugiant, porus vinorum generosorum aut liquorum stillatitiorum nequaquam convenit, vinum tamen vetus album aut rubellum aqua dilutum, vel cum acidulis mixtum, non interdendum. Motus quoque & corporis exercitia ad sanguinem circumagendum, & attenuandum solidaque roboranda egregie conferunt. Hinc in somno moderamen etiam est servandum justum. Excretionum etiam omnium, præcipue alvinæ & menstruæ sollicita habenda est ratio, & si posterior deficit, in ordinem redigenda, aut per vicarias missiones sanguinis apud vetulas supplenda est. Odores præterea suaveolentes à naribus absint. Et animi tandem pathemata, iram præcipue, inærorem & amorem nimium illicitumque angue pejus & cane fugiant, hilaritas potius, jucundæ sed castæ fermocinationes, cantus, instrumentorum musicorum concentus, hysterics & melancholicis personis sunt procurandæ. Qui enim animi æque (ac corporis ægritudinibus mederi novit in hoc morbo omne tulit punctum